

† R. P. Adelelmus (Lesmes) Miguel Palacios (1883-1934)

(Vice-Prov. Mexic.)

Brevi, etsi sero, praeconio efferre liceat hunc S. Alfonsi filium et in Hispania atque in Mexico nostri apostolatus heroem, quo neminem fortasse sanctitatis fama clariorem inter nostrates Redemptoristas vita functos



invenies. Burgensis (*Burgos*) provinciae pagus, cui nomen *Puente-dura*, die 29 Ianuarii a. 1883 pueruli Lesmes cunabula noverat, quem ab infantia timorem Dei ac litterarum primordia edocuerunt parentes, scilicet pater magistri nationalis munere fungens et avita Castellae fide plane imbuta mater, uterque autem dives mira in Beatam Virginem veneratione, qua compulsi ante suum a. 1888 e Puente-dura discesum ad sanctuarium Marianum *del Camino* peregrinati sunt, Patronae caelesti ex corde valedicturi.

Nova, cui tunc magister nationalis adscribebatur, schola oppidulum eiusdem provinciae illustrabat *Revilla del Campo* nuncupatum,

ideo de nostra Congregatione optime meritum, quod plus quam decem alumnos, nonnullos quidem nostri Patris Lesmes consanguineos, Alfonsianae familiae donavit. Vix itaque pius Adelelmus ibi sedem defixerat, cum Iesu sub velamine eucharistico latitantis coepit suavitatem degustare, nutritam frequenti communione et Missae ministracione vitaeque Sanctorum lectione, coronatam demum in Spinensem iuvenatum vocatione, quam mense Septembri a. 1895 post Alfonsianam in suo pago missionem gaudens amplexus est.

Sex annos Spini commoratur rectam animi indolem portendens, ingenii lumen nequaquam commune, pietatem eximiam imprimis erga Beatam Virginem, prout ipse in novitiatus curriculo declarat: « Si Congregationi adhaesi in eaque maneo, id per manus Mariae acceptum refero ». His virtutum lineamentis quasi sigillum effigiem Redemptoris per ipsius imitationem apposuit toto tirocinii anno, quo volvente usus est Magistro R. P. Chavatte, cui filiali devotione et tenera amicitia usque ad mortem vinctus permansit, etiam mutuo ex Mexico epistolarum commercio.

Professione tandem emissa die 8 Sept. a. 1902, nihil sane inter studia maiora fervoris remisit, sed contra indefessus incubuit fastigio scientiae ac sanctimoniae attingendo, operosam speciatim in confratres exercens caritatem suavitatem et humilitate plenam. Sacerdotio die 14 Martii a. 1908 ornatur, atque eiusdem anni mense Augusto Lectorum in iuvenatu Spinensi circulo per quinquennium assignatur, sive humaniorum litterarum, sive linguae Graecae, Gallicae musicae sacrae diligens cunctisque amabilis magister, onus simul suscipiens quatuor annos Chronicorum localium, et quidem maxima sollertia ac caritate, exarandi.

Tum vero a. 1913, post brevem Granatae commorationem, Matriri secundum peragit novitiatum atque Spinum regreditur ut, quem pectore aestuante gerebat apostolicum ignem, missionarius ubique terrarum expromeret. Tempus igitur, quod ab anno 1914 ad 1920 cucurrit, in domo Spinensi eo cordis et oris fervore P. Lesmes complevit, quem centum fere missiones et renovationes denuntiant ab illo per varias provincias (Burgos, Asturias, Santander, Vizcaya) habitae. Eius dicendi genus logica trabe solidum, declamatione vivax, « pectore » vere disertum audientium animos ipsi conciliabat; potiori vero robore corda trahebat missionarii agendi ratio sub omni respectu exemplaris, macerationibus et ieiunio proprium corpus excrucians, omnes tamen alloquens affabili comitate. Nihil itaque mirum quod hodie, 20 annis a missione transactis, dilecti confratris memoria retinetur.

Huic vitae apostolicae periodo dignam a. 1919 coronam P. Lesmes imposuit ad directionem evectus Patrum secundi novitiatu et, sequenti anno, delectus ad exercitia spiritualia nostris clericis studentibus tradenda. Spinensis Chronista, ad elogia haud pronus, hoc de Confratre in Mexicum abeunte praeconium scripsit: « R. P. Lesmes Miguel ex hac Communitate proficiscitur, in qua per sexennium laboravit uti strenuus missionarius et religiosus piissimus semper et abnegatus ».

Autumno a. 1920, mente gaudio perfusa, sortem complexus est Mexicanam vineam excolendi. In prodromum spiritus quo in Americam compellebatur omnia sua scripta exussit. Etenim sicut olim Hernán Cortés, indigenas Mexicanos vi subactus, suam classem incendit, ita P. Lesmes quas in Hispania conscripserat contiones et opera igni mandavit, quo certe facilius redderetur ad oras Mexicanas accessus, at praesertim ne, adiuventis ipse fretus iuvenilium laborum, praeparationem contionum omitteret et otio in posterum torpesceret. « Ceterum, inquit, sufficet mihi S. Alfonsus sine fuco et calamistris praedicatus ». Otio tamen nunquam indulsit; reliquit enim haud parvi ponderis scripta in Mexico exarata, sive philosophiam et dogma, sive moralem theologiam et ius canonicum respicientia, atque propriam Codicis iuris canonici cum S. Alfonso concordiam et suas ad clar. Ferreres et Arregui consultationes et dubia. His adde

confratrem, ante suum ex Hispania in Mexicum transitum, folia nostra « El Perpetuo Socorro » saepe dissertationibus ponderosis de rebus moralibus et mariologicis ornasse, immo illum, votum privatum exsequendo, librum de laudibus Marianis contexuisse, at exquisita afflatum humilitate opus in lucem edere noluisse.

Haec vero in Alfonsianas disciplinas addiscendas inclinatio nequaquam missionarii impetum restinxit. Eodem quo in Rempublicam Mexicanam appulit anno opem suam missioni in Torreón (70 000 incolarum) habitae contulit; longos posthac pro temporum locorumve opportunitate excursus apostolicos confecit, quorum recordatione ipse moriens delectabatur. Specialissima, qua semper vixit, humilitatis sollicitudo notitiam uni Deo talia numeraturo reservavit, sicut suae quoque heroicae in proximos caritatis, prout Spini a. 1918 resplenduit, cum peste populos finitimos depopulante ipse parochorum aegrotantium vices gessit et animabus iuvandis corporibusque medendis, immo et humanis se dedit, ita tamen ut ne verbum quidem de sua agendi ratione ipse qua chronista retulerit, is qui eodem tempore laudes in confratres refundebat.

Quae autem nuper furente Mexicana persecutione miles Christi pro Ecclesia perpressus sit, facilius divinantur quam narrantur. Ab anno 1920 ad 1924 in urbe Monterrey commoratus est, et quidem tres annos postremos huius communitatis Superior; tum vero in caput Reipublicae transfertur tanquam Viceprovincialis Consultor Secretarius. Triennio 1926-1929 P. Lesmes relictus est unicus in magna urbe S. Ludovici atque in eiusdem viculis et pagis sacerdos; quare, publico cultu vi supresso, per domos privatas, nocte praesertim, confessiones audiebat, communionem interdum 100 distribuebat, sacramenta ministrabat aegrotis. Totum se namque Divinae Voluntati tam ad vitam quam ad mortem devoverat, sanguinem quoque pro Christo fundere paratus. Ex pagis et praediis vicinioribus, ut infirmis subveniret, accersitus, auxilium numquam recusabat, sed contra pedibus iter decem vel quindecim Klm. faciebat, mortificationem occultans sub specie et nomine « exercitii hygienici » aut « deambulationis ».

Anno 1929, quo sol libertatis religiosae renasci videtur ac pactum inter gubernium et Ecclesiam initur, P. Lesmes in urbem Veracruz mittitur. Ibi quoque certamen et periculum haudquaquam refugit missionarius, qui a. 1930 solus 20 000 communionem fidelibus distribuit. In dies tamen crescit inimicorum saevitia eo progressa, ut unicum pro 100 000 incolis sacerdotem in Statu Veracruz admittant. P. Lesmes occulte perguit obire sacraministeria; at proh dolor! mense Octobri a. 1931 impiae manus flammis vorantibus tradunt nostram B. Virgini Septem Dolorum sacram ecclesiam, cuius ruinas nolisset confrater deserere; minus enim forte erant lugendae quam animarum immortalium ruinae. Ceterum sollicitudinem victus quotidiani quotidiana sobrietate contempserat, sommo autem super terra nuda

suscepto lectum molliorem; cuius rei testes sunt Superiores Maiores, qui in visitatione canonica fervorem missionarii temperare voluerunt. Ecclesia itaque nostra in Veracruz succensa, debuit confrater ex obedientia in urbem Ludovici remeare, ubi ad mortem usque continuo laboravit et virtutum gemmam perpolivit.

Virtutes eius domesticae suavi claritate micabant. Paupertatis fidesimus custos animum a divitiis sancte abalienatum fovebat, adeo ut, qua domus Superior, ne communem quidem pecuniam in cella servare vellet. Hinc, etsi divites et nobiles minime abnuebat, malebat tamen rudiorum et egenorum societatem, quibus catechizandis et auxilio spirituali ac materiali iuvandis sese adstrinxit. Vestis usu trita, minimorum cura, qua etiam epistolarum involucra ad suas contiones adhibebat, cibi et potionis nimia abstinentia, cauta et valde rara cum mulieribus communicatio, humilis et semper actiosa erga confratres dilectio aliaque huius generis facta animam « bonam », quam P. Lesmes sortitus erat, aperte significant. Iam vero facile intelligitur missionarium propterea sanctitatis maturos fructus edidisse, quia illius anima « secus decursus aquarum » plantata caelesti orationis imbre irrorabatur, praesertim coram Corde Iesu Eucharistico et Beata Dei Genitrice, a quorum altaribus non nisi cum dolore recedebat.

Poterat igitur divexata Viceprovincia Mexicana, tanto thesauro a Deo ditata, spem alere. Deus tamen fere ex improvise huius missionarii cursum abrupit. P. Lesmes, postquam die Assumptionis a. 1934 missionem valde fructuosam absolvit, domi solus morabatur, dum Superior aliusque Pater ad missiones egrediuntur ante Octobrem reversuri. Die 7 Octobris contionem de S. Francisco habuit ac postridie annua decem dierum exercitia inchoavit, sub quorum finem ipse, diligens Chronista localis, scripsit: « Die 18 Oct. P. Lesmes nonnihil male se habet ». Re autem vera valde graviter aegrotabat. Pridie (ecce signum eius in minimas Regulas venerationis) expressam licentiam postulaverat ad tempus in actione gratiarum contrahendum. Voluntatis robore amplius nequibat virium minutionem supplere; Missam quidem die 18 celebravit ab alio Patre adiutus necnon et confessiones paucas audivit, at cito in lectum redire cogitur aestuante feбри usque ad 40 gradus. Optime noscens Sponsum Christum ad ostium stare in caelum vocantem, sex qui superfuerunt dies insumpsit mente lucida ultimae praeparationi absolvendae. Sanctissimo Viatico refectus, votis religiosis pie renovatis ac vita pro Congregatione in Mexico oblata, nihil nisi Iesum Eucharisticum et Mariam Virginem diebus postremis sitiebat. Tandem die 25 Octobris, extrema unctione ac indulgentia plenaria munitus, hora quarta post meridiem tranquilla dormitione quievit.

Simul ac rumor spargitur mortis, plurima advolat turma ad « Sancti » cadaver contemplandum, cordis oculorumque aromatibus condiendum,

nocte custodiendum, obiectis eidem applicitis perennandum. Sacerdotes etiam cerneret, quos inter parochum Tlascalae, zelantis apostoli obitum illacrymantes. Funus actum est sollemne adstantibus confratribus, amicis plebisque copiosa multitudo. Hi omnes in via ad caemeterium recordabantur eandem viam defunctum sub sole et pluvia centies perlustrasse in suis ad animas lucrandas itineribus. Faxit divinus Redemptor ut Viceprovincia Mexicana, quae in defuncto Patre Lesmes exemplar fervoris amisit ac lucentem columnam, potentem nacta sit apud Deum Patronum! R. I. P.

---